

Clarissimo atq; Doctissimo
DNO. IACOBO HARDERO;
DNO. Auditori, Domestico atqve Commensali suo
longe honoratissimo, dilectissimo
S. P.

STudia moralia in Academiis negligi, magno strepitu clamitant ii, qui sub pietatis praetextu pestilentissimos errores aliis instillare non verentur. Quotidiana ipsis reclamitat experientia. Doctores, qui pietatem colunt, Pietismum detestantur, non tantum in Collegiis Privatis, verum etiam publicis scriptis ea, quae ad formandos hominum mores faciunt, summam exponunt diligentiam; improbant vero jure merito Indifferentistarum conatus, qui verum de DEO sensum nimis frivole negligentes, cultum DEI tantum urgent. Sub hac enim larva pessimorum haereticorum cohors latitare potest. Ipsa certe sana ratio comprobatur; Verum Dei cultum praesupponere verum de DEO sensum. Idque Doctissime HARDERE, ex eo tempore, quo Academiae nostrae Alumnus fuisti, singulari prorsus studio confirmare adlaborasti. Testatur hoc incomparabile Ecclesiae nostrae Lumen Dn. D. Fechtius, Venerandus noster in Christo Pater; Cui testimonio sufficientissimo, ut quaecumque meum adderem suffragium humanissimis expetiisti verbis. Nec volui, nec potui desiderio tuo deesse. Fas omnino aequumque esset in laudes tuas excurrere, sed cum illas nec pagina haec capiat, nec modestia tua desideret, silere malo. Diligentia tua morumque suavitas omnibus nota pro te loquitur. Loquitur pro te erudita de *Clerico Percussore* Disputatio, quam benevole eruditorum censurae subicere constituisti. Nullus dubito, quin aliquando orbis literati singulare Decus sis futurus. Annuat piis conatibus Benignissimum Numen! Dab. Rostoch. inter varias occupationes d. 26. Novembr. A. M. DCCVIII.

Tuae Claritati
Addictissimus
GEORG. FRID. Niebenc/
SS. Th. Lic,